

Edition

- Manifeste cognoscere possumus, fratres, in istis diversis afflictionibus, quas de die in diem peramplius patimur, nostris hoc promereri peccatis et nostrae hoc esse maxime culpae¹, qui doctores populi dei esse videmur, quod non tam perfecte, ut deo promissimus, in eius servitio permanemus
- 5 neque ut a deo nobis praeceptum est; quamvis et illius populi sit delictum, qui neque dei praeceptis volunt esse oboedientes, ut eis necessarium est ad aeternam illorum salutem et gloriam, neque etiam monitis nostris ad huius seculi necessitates^a a domino promerendas; quamquam eos nec tam frequenter ammonemus^b, ut iustum est, nec tam pleniter eos novi-
- 10 mus ammonere, ut nostra vel eorum communis est necessitas. Evidenter denique valemus intellegere: Si vel ea ieiunia, quae communi decreto² agere statuimus^c, in tanto corde ac sincera fecissemus devotione, cum tanta humilitate et castitate, ut dignum est dominum supplicare, non nos tam diversis dominus afflictionibus castigasset, aut^d si populus nobis subiectus
- 15 nostram nos professionem nostrumque propositum cerneret melius custodisse, quam facimus, aut si eis tam sancta bone operationis ostenderemus exempla, ut iustum est, nec ipsi^e nobis tanta fecissent obprobria tantasque derogationes, ut faciunt, nec ipsi etiam tanta flagitia perpetrare praesumerent.
- 20 Ideoque oportet nosmetipsos primitus condigna emendatione corrigere, dignis quoque castigationibus in confessione et penitentia emendare, et quicquid usque nunc segnius aut neglegentius, quam nostra esset necessitas, fecissemus, hoc primitus coram deo et sanctis eius iusta satisfactione ceterisque ad exemplum pleniter emendare.
- 25 Deinde ieiunia et orationes simulque elymosinas, quas uno consensu³ omnes pariter agere decrevimus, cum timore et amore domini, cum humilita-

a) *nach* necessitates 2–3 *Buchstaben radiert*: adque ? b) *ammoneamus* Hs.
c) *stabimus* Hs. d) *verbessert aus* au Hs. e) *nach* ipsi *zwei Buchstaben radiert* Hs.

¹) Ähnliche Schuldbekennnisse zur Begründung der Fasten-Anordnungen in Karls Brief an Ghaerbald MGH Capit. 1 S. 245 Z. 42 – S. 246 Z. 2; Eckhardt (wie S. 383 Anm. 13) S. 118, vgl. auch die Praefatio des Concilium Baiuvaricum MGH Conc. 2, 1 S. 51.

²) Vgl. hierzu oben S. 385–387.

³) Vgl. hierzu oben S. 387 sowie Karls Brief an Ghaerbald: *cum consensu et pari consilio invenimus* (MGH Capit. 1 S. 245 Z. 5; Eckhardt S. 116).